



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn


**Illustrissimi Domini Simonis De Fierlant, Hispaniarum Ac  
Indiarum Catholico Regi, In Hispania Ac Belgio, A Concilio  
Status, Brabantiae Cancellarii, Catholico Ab Affectu  
Tractatus, Quo, Clarissime ...**

**Fierlant, Simon de**

**Coloniae Agrippinae**

§. 1. Quibus S. Scripturae locis abutantur Trium-Viri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37059**



## CAPUT QUINTUM

CATHOLICVM.



Unc tu mecum , Lector , ex subterraneis illis cavernis , & obscuris Trium-Virorum viis in auream Fidei Catholicæ lucem regredere ; satis cuniculorum est , liberio-rem tandem aërem hoc capite respiremus : Caput do Catholicum , quod in suos divisum Articulos per amæna Scripturæ , Sanctorumque Patrum , & Scholasticorum vireta , piis eorum doctilque sententiis , sic quasi suis arboribus pulchre consita , in Catholica Fidei nostræ luce inoffenso pede ambulare nos faciat ; & quia fatigatum te habeo ex longiori illo per cuniculos dicursu , breviori , quâ potero , viâ te deducens , quæ ipso pede non emetiemur loca , digito saltem eminus notabo.

## ARTICULUS I.

*Scripturivisticus.*

§. I.

*Quibus S. Scripturæ locis abutuntur Trium-Viri.*

**P**Arvo limite inter se hæc duo distant , uti Scriptura , & abuti , hæc enim cum plana sit & recta , si vel tantillum  
ad



ET INFELIX CONCORDIA. 275

ad tui cerebri somnia inflexeris, aut contorseris, ecce non Catholicè eâ uteris, sed hæreticorum more impiè abuteris: Et veniunt nobis Trium-Viri sacris onusti codicibus, ut sacrum suis mercibus pretium, si possint, à sacris Literis concilient; sed nihil agunt miseri, & frustra jam sæpè ab eorum abusu vindicata loca objicere pergunt; & nusquam quidem manifestius patet, quàm parum ex Scriptura præsidii habeant, quàm apud Gummarum in Methodo pag. 53. ubi hunc titulum præfigit: *locâ Scripturæ sacræ, quæ docent veram conversionem tantâ non acquiri celeritate & facilitate quantâ hodiè vulgò creditur*, nam ejus de differenda longius absolute sententiæ præcipua basis est, ostendere, non esse subitas hominum conversiones; huc loca, quæ potest, congerit omnia, & primo quidem altiori voce intonat illud Ezechiël. 18. *Si impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiã, vitâ vivet, & non morietur.* Tum illud Deuteron. 4. *Cum quæseris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæseris & tota tribulatione animæ tuæ.* Habes hic, Lector, quæ quidem ex veteri Testamento adfert, omnia; hui! quam pauper est, qui ex tam immenso thesauro non nisi duo verè minuta sua facit: at plura adferre potuit: sit ita; cettè præcipua attulit, & si hæc præcipua, reliqua profectò ita levia sint necesse est, ut sua tenuitate sponte evanescant.



Nec ditiores eum facit Testamentum novum; sub unum aspectum do omnia: *quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur, &c.* 2. Cor. 7. *Facite fructum dignum pœnitentiæ.* Matth. 3. *Si quis venit ad me & non odit Patrem, &c.* Lucæ 14. Matth. 10. *Qui amat Patrem aut Matrem plusquam me, non est me dignus, &c.* Tum geminam adfert similitudinem de qua Luc. 14. *Quis enim ex vobis volens turrin ædificare &c. & quis Rex iturus committere bellum &c. & multum diuque in Christi conclusionem hæret; sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus: hæc sic collectim in uno §. Gummarus, hæc in suis sparsim libris Gabriëlis, & Macarius: quid autem ex his concludant miseri dialectici? certè quilibet potius, quam id, quod exsculpere volunt; ut de singulis nitidè probat & solidè in solida sua praxi P. A Burgundia à n. 127. & cujus recentior memoria est, Nicolaus du Bois in Thesi sua 2. à pag. 15. & est quidem hæc propria ipsius messis, ut qui Primarius Scripturæ Lovanii Professor, ex officio etiam sacros Textus à Novaturientium corruptione vindicare debet.*

§. 2.

*QUÆ S. SCRIPTURÆ LOCA  
faciant pro communi sententia.*

**F**rustra ex Scriptura rigorem quis fugere velit, ubi omnia misericordiam Dei sonant; ubi miserationes ejus  
super